Canarien. Confirmationis Capituli Prouincialis.

Eme, & Rme Dne. TErminato Officio Prouincialatus Prouinciæ S. Claræ de Monte Falco Insularum Canariensium Ordinis S. Augustini per P. Magistrum Ioannem Sirac, cùm ad noui Prælati, seù Prouincialis electionem iterùm deueniendum esset de mense Aprilis 1714., Hinc congregatis omnibus Vocalibus, seù Electoribus in Conuentu S. Spiritus Ciuitatis Lacunæ, iuxta Conuocatoriã eis præcedentèr legitimè factã, nemo prorsùs contradixit, nisi Fr. Angelus Fernandez de la Crux, qui nec Vocalis erat, neque de gremio Capituli, & eius exemplo contradixerunt quoque idem P. Ioannes Sirac Prouincialis absolutus, de anno præterito è viuis ereptus, & Ex-Prouincialis P. Magister Ioseph de Aguilera; Primus protestando nullam electionem instantaneè faciendam, nempè ob sibi occultatas litteras P. Generalis, in quibus, asserebat, fuisse nominatum in Præsidem dicti Capituli, *Summ. Num.*1.; Et rursùs protestando inualidam electionem, quatenùs electio ipsa caderet in Subiectum, seù Religiosum, qui munus Prioris, seù Regentis non exercuisset, contra formam *Text. Constitutionum part.3. cap.9.§.6. Summ. Num.*2.; Secundi verò de nullitate dixerunt, nedùm quia ad electionem concurrebant, Conspiratores, & Rebelles, ob rebellionem contra Prælatum Superiorem inceptam à sex mensibus anteà, ad instigationem P. Magistri Fr. Gasparis de Herrera in Conuentu de los Realexos, & posteà prosecutam vsque ad vigiliam aperitionis Capituli in Conuentu Tacorontis, verùm etiam quia suffragabatur dictus P. Magister Herrera, tanquàm apertè excommunicatus, ob occultatas dictas litteras Præsidentis à Reuerendissimo P. Generali Ordinis datas, *Summ. Num.*3.. Quæ omnia cùm visa fuissent nimis frigida, & vndequaque fabulosa, ex quo neque fumum veritatis habebant, die præfixa, seruatis priùs omnibus de Iure præmittendis, iuxta earundem Constitutionum præscriptum, totali, & omnimoda quiete processum fuit ad electionem, vbi ex suffragijs decem, & nouem, quæ enumerata fuerant, nemine prorsùs contempto, P. Præsentatus Nicolaus à Diuo Iosepho, & Torres habuit vota duodecim, P. Magister Herrera vnum, & P. Præsentatus Ioannes à Diuo Iosepho sex reportauit suffragia *Summar. Num.* 4.

Tali modo dictus P. Præsentatus Nicolaus à Diuo Iosepho electus, statìm confirmatus fuit, & ab omnibus in Prælatum Prouinciæ recognitus *Summ. eodem Num.*4. *litt. A.*; Itaùt ab illo instanti, vsque in præsens, pacificè, & nemine altero reclamante, Officium

A suum

suum exercuerit.

Cùm autèm ex intimatione Capituli Generalis, quod in mense Maio proximè præterito 1717. celebrandum erat licèt posteà de mandato Sanctissimi suspensum, idem P. Prouincialis iter assumpserit Romam versùs, ad effectum in illo suffragandi, secum quoque tulit acta Capituli pro reportanda à Superiore Generali Ordinis eorum confirmatione, & approbatione, iuxta spiritum propriarum Constitutionum, quam tamèn antecedentèr iustis de causis prætermiserat, scilicèt ex notis impedimentis, & prohibitionibus factis per suspensionem commercij; Talitèr quod licèt Capitulum ampliùs non celebraretur, tempus quantumuis minimum vnquàm non præterijt ad dictam confirmationem sollicitandam; Plaudente etiam dicto P. Angelo Fernandez Oppositore, qui præuentiuè Romam appulerat, in spem erectus, decisionem assequendi à P. Vicario Generali, & PP. Assistentibus Religionis pro omnimoda infirmatione, & Capituli nullitate.

Diù stetit, hoc est, ferè per tres menses talis altercatio, seù instantia penès Religionem, vbi in diem pulsabatur à P. Prouinciali electo pro ea definienda, vt Capitulum semèl aliquandò remaneret vel confirmatum, vel infirmatum. At agnoscens dictus P. Angelus, post dictum tempus, quod Religio inclinabat pro omnimoda Capituli confirmatione, studuit modis omnibus illius euitare Iudicium; Et de facto propè finem mensis Augusti proximè præteriti tempore, quo penès eandem Religionem per ipsum reduplicabantur Instantiæ pro dilationibus extorquendis, nè determinata decisio fieret, citationem transmisit coram R.P.D. Auditore Sanctissimi pro controuersiæ auocatione à Superioribus Ordinis, eiusque remissione ad hanc Sacram Congregationem, eo sub obtentu, quod inibi radicata extitisset vsque de mense Februarij anni 1716., ex quo expositione facta nomine Regis Catholici apud EE. PP., quod in dicta Prouincia Canariensi plurima vigebant inconuenientia, & discordiæ, ob quæ maximoperè commota erat, hinc Sac. Congregatio ad debitum super his malis inchoandum remedium, sub die 14. Februarij eiusdem anni 1716., referente Eminentissimo Cardinali S. Priscæ, rescripserit = *Episcopo Canariensi, qui cum facultatibus Sacræ Congregationis prouideat vsque ad Capitulum Generale in omnibus, & certioret Sac. Congregationem de executis.*

Reportato proindè per eundem Aduersarium fauorabili Decreto super hac remissione petita ad hoc Sacrum, Supremumque Tribunal, incontinenti P. Prouincialis suas promouit Instantias coram Eminentissimo S. Priscæ, vt controuersia quantò citiùs proponeretur, quod tamèn obtinere non valuit, ob impedimenta dicti Eminentissimi Ponentis. Intereà superuenerunt feriæ autumnales, quibus elapsis, ab eodem Eminentissimo D. Cardinali S. Priscæ ad Eminentissimum D. Cardinalem Gualterium transmissa fuerunt Iura, & Po-

& Potentia, vt eius nomine Causa proponeretur, nè diuiiùs Partes expensas Romæ subirent; Itá, & taliter, quando sperabatur sine alia oppositione, fore deueniendum ad Causæ propositionem, idem P. Angelus nouam posuit in Campo prætensionem, eam vllo modo fieri non posse, nisi expectato priùs responso, & requisita certioratione Episcopi Canariensis, super quo mordicùs sese opposuit, omnem mouendo lapidem, nè ad vlteriora procederetur; Cùm autèm nimis apertè agnitum fuerit, totum fuisse, & esse directum, ad merè procrastinandum, & defatigandum suum Superiorem Prouincialem, hinc descripta Causa in folio, præuijs pluribus monitionibus, ex consueta Iustitia PP. Emorum firmitèr speratur, fore rescribendum pro dicti Capituli confirmatione.

Quanquam enìm, vt supra præmisimus, in Capitulo tres solùm protestati fuerint, nempè Fr. Angelus Fernandez de la Crux, P. Ioannes Sirac Prouincialis absolutus, & Ex-Prouincialis Ioseph de Aguilera, & cœteri omnes neque os aperuerint, eorumque protestationes fuerint directæ ad illa tria, hoc est, ad ass. occultationem litterarum Præsidis P. Generalis, quod non eligeretur Religiosus, qui non fuerit Prior, aut Regens, & tandèm quod suffragabantur inhabiles, hoc est, qui fuerunt Rebelles, & Conspiratores contra proprium Prælatum, vt in *Summ.Num.*1. 2., *&* 3.

Nihilominùs hodiè tota contradictio super asserta huiusmodi nullitate Capituli restringitur in vnico, & ad vnicum dumtaxàt Oppositorem, nempè ad dictum P. Magistrum Iosephum de Aguilera; Quandoquidèm P. Prouincialis absolutus Ioannes Sirac ex hac vita migrauit de anno præterito propè finem mensis Decembris 1716., vt est in confesso apud Partes; Secuto enìm eius obitu; omnis oppositio, ac prætensio expirauit, P. verò Angelus Fernandez Romæ Contradictor, iste nec vocem habuit, nec locum in Capitulo, adeoque tanquam Extraneus, sicuti nullum habuit interesse, restrictum solùm ad illos de corpore, & Collegio, ità non valet vllam partem facere in hac contradictione, dando de nullitate electioni peractæ, & cœteris in Capitulo stabilitis propter ipsius protestationem ante electiones emissam, quando non erat de Collegio, & de illis, ad quos spectabat electio, vt in consimilibus terminis notat *Card. de Luc. de Iurepat.disc.*61.*num.*22.

Contradictio verò dicti Patris de Aguilera apta esse non potest ad reddendam nullam electionem, seù Capitulum celebratum, nisi ipso volente, aut comparente per se, vel mediante Mandato Procuræ in personam Alterius; Itaùt nullitas ab ipso opposita non possit per Alium allegari, nisi doceat de legitimis facultatibus, cùm respiciat eius interesse priuatum, & sit mera exceptio personalis, Alteri nequaquam communicabilis, etiam exclusiuè ad ipsum Iudicem, qui neque ex officio facultatem habet attendendi protestationem, seù exceptionem datam à Vocali, quatenùs idem Voca-

lis super ea non insistat iuxta *Text. in cap. quod sicut de elect.*, *Lauor. var. lucubrat. tom.1. tit. 4. cap.17. num.17.*, *Rot. coram Coccin. decis.2021. num.37. cum sequent.*, *& coram Rmo P.D. Ansald. decis. 52. num.16.*, *& decis. 86. num. 8.*, & consequentèr dictus P. Angelus, qui quoad se nullam habet vestem nuptialem pro facienda legitima contradictione aduersùs nostrum Capitulum celebratum, respectu dicti Patris de Aguilera audiri nullo modo potest, nisi ostendat legitimum eius Mandatum Procuræ, ab ipso datum ad contradicendum, tantò fortiùs, qui sicuti non sufficit in Comitijs Prouincialibus contradicere, & protestari, nisi posteà coram Superioribus verificetur Causa contradictionis, & quidquid oppositum fuerit ex notatis per *Crescent.decis.2. de præsumpt.*, *Rot. coram Coccin. decis.1282. num. 4., & 5.*, *& in recent. decis.611. num.4. part.1.*; Ità si non exhibetur eius mandatum, ad effectum verificandi oppositas nullitates, & protestationes, certum est, quod ab Alio præter Semetipsum fieri non potest, cùm in hoc casu censeatur fuisse renunciatum cuicumque exceptioni, iuxta authoritates mox allegatas.

Absque eo quod obstet replicatio, protestationem exhibitam à dictis PP. Ioanne Sirac Prouinciali absoluto, & P. Iosepho de Aguilera, fuisse factam, & conceptam etiam nomine aliorum Vocalium, quoniam non solùm militat eadem responsio, quod si non exhibetur amplum Mandatum Procuræ Aliorum Protestantium, siue si in hodierna concretatione isti Cooppositores, quorum nomina adhuc ignorantur, personalitèr non comparent, ipsorum protestationes habentur, acsi factæ non fuissent,

Verùm etiam alia validior insurgit, quia de facto in eadem protestatione dictum fuit, ibi = *In nome di altri Vocali, che in douuta forma compariranno à suo tempo auanti il nostro Reuerendissimo P. Generale, ò in altro Tribunale, doue ci conuenga,* = *Summ. Num.3.*; Proindeque si isti alij Vocales Anonomi non comparent, & sese explicant, & non comparent in forma debita, & legitima, ibi = *In douuta forma*, = vtique non solùm audiri non possunt, sed necessariò concludendum, quod protestatio ab eisdem PP. emissa, Alios non comprænhendit.

At ponamus etiam casum, quod omnes Relati, sint Contradictores, & Contradictores legitimi, oppositio P. Angeli Fernandez legitur in duobus actibus distinctis, in vno habetur, vt dictum est, quod electio non fieret in Subiectum, qui non fuerit Prior, & Regens, vti disponunt Ordinis Constitutiones, & in altero, quod nullitate laborabat electio peragenda ob sibi occultatas litteras Præsidentiæ, in quibus ipse asserebat, venisse nominatum *Summar. Numer.1., & 2.*

Circa primum, vt in Electo deficiat vna ex requisitis qualitatibus, & consequentèr, quod fuisset ineligibilis, talis defectus deberet per ieun-

eundem P. Angelum concludentèr probari, cùm præsumptio sit habere, & habuisse omnia requisita necessaria, iuxta *Text. in leg. quotiès ff. de reb dub.*, *& leg. quotiès ff. de verb. oblig.*, *Abb. in cap. licèt Episcopus num.3.*, *& seqq. de praben. in 6.*, *ibique Geminian. num.12.*, *Passerin. de elect. canon. cap. 32. num. 69.*, *& in Albarracinen. Canonicatus* 10. *Maij* 1700. §. *Sed antequàm coram R.P.D. Molines*.

At tantùm abest, quod id probetur, vt illicò appareat de contrario; nàm noster P. Præsentatus Nicolaus à Diuo Iosepho, & Torres fuit Regens, & Rector per plures annos continuos, cœteris omissis, in Conuentu S. Ioannis Baptistæ de los Realexos, vno ex primarijs Prouinciæ *Summar. Num.5.*, ità, & talitèr, quod Definitorium attenta lectura, seù Regentia exercita per annos 12. in Prouinciali Capitulo de anno 1711. eum postulauerit pro gradu Magisterij *Summ. Num.6.*, & consequentèr quoad hanc partem remanet sublata, & nullius roboris prima oppositio facta à dicto P. Angelo, tanquam non verificabilis in Subiecto electo.

Circa verò secundum, quatenùs etiam verificaretur dicta ass. occultatio litterarum Præsidentis pro præsidendo Capitulo, hoc nullo modo influit, seù influere potest ad Capituli nullitatem, quoniam esset delictum particulare à Tertio commissum, cuius effectum, seù pœnam sentire, & luere non debent alij Electores, ad quod non concurrerunt, quia non consenserunt dictæ ass. occultationi. Aliquam fecisset vim talis oppositio, quatenùs in publico Consessu, & in illa Adunantia fuissent litteræ P. Generalis circa dictam Præsidentiam præsentatæ, & non receptæ, seù debita religiositate non admissæ; At quotiès illæ non comparuerunt, cùm in isto casu Constitutio Ordinis litteralitèr præscribat, Præsidentiam fore assumendam à Definitore antiquiore proximè præteriti Capituli Prouincialis, vt in *dicta part.3. cap. 9. §.2. num.4. sub titul. de Cap. Prouinc.*, hinc in Præsidem deputatus fuit P. Præsentatus Ioseph de Vargas; cui omnes Vocales obedientiam præstiterunt *Summar. Num. 4.*

Et reuera, quod nullæ litteræ datæ, & ostensæ fuissent, patet ex eisdem Actis Capitularibus, vndè constat, quod idem P. Prouincialis absolutus, qui posteà contradixit idem Capitulum, omnibus Vocalibus præsentibus, & coadunatis, mandauit, quod si quis haberet à Reuerendissimo P. Generali litteras ad Capitulum directas, easdem incontinenti proferret *Summ. dicto Num. 4.*; Cumque nullo modo comparuerint, siue ex quo fuissent iusto motiuo retentæ, siue etiam indebitè occultatæ, semper legitimè dicendum est, fuisse processum ad electionem, & deputationem Prouincialis, iuxta formam præscriptam à lege peculiari Ordinis, quia non ex quo Alter occultauerat, (si ità verum erat,) suspendi poterat celebratio Capituli, & electio Superioris facienda; Electoribus

enim

enim circa eorum Ius exercendum sufficiebat, quod dictæ litteræ prolatæ non fuissent, vt locus esset formæ, & modo præscripto ab ipsis Constitutionibus in faciendo electionem, quando eædem litteræ non concurrebant. Vltrà quod ex regestro Ordinis constat fuisse à P. Generale in tempore reuocatas, vt ad libitum recognosci potest à dicto P. Angelo Aduersario.

Remanet modò respondendum alteri oppositioni, seù protestationi factæ à dictis Patribus Ioanne Sirac Prouinciali absoluto, & Iosepho de Aguilera Exprouinciali, quorum præcipuus conatus erat, quod non votarent Conspiratores, & Rebelles, ob coniurationem à Pluribus factam aduersus proprium Prælatum, in Conuentu *de los Realexos*, & in Conuentu *de Tacoronte*, ad instigationem dicti P. Magistri de Herrera, qui eo minus suffragari poterat, tanquàm incursus in Censuras, dùm fuit ille, qui occultauerat prætensas litteras Præsidentis, & ob id de nullitate dederunt aduersus electionem, vt suprà secutam.

Et responsio est, omnia hæc resolui in apertissimam fabulam, dùm non solum exaduerso non indiuiduantur, quot, & quales sint isti Conspiratores, verùm nullum documentum datur, & hactenùs exhibitum fuit, in quo consistat hæc asserta conspiratio, quomodò, in quem modum, & ob quam causam facta fuerit, itaut vsque nunc coactus sit P. Prouincialis, & cœteri Vocales allegare dictum *Gloss. in l. final. verb. Zenonis, Cod. de Ædific. priuat.*, respondentis = *Sed vbi est* = & sic stare mero dicto, & vocibus dicti Fr. Angeli, qui nihil prorsus verificauit, non solùm apud hanc Sac. Congregationem, verùm etiam nèc antè, nèc post electionem, & consequentèr deficit nobis modus, vlteriùs respondendi ex defectu contrariæ probationis; solùm prouocando Partem Contrariam, vt verificet hanc exageratam Conspirationem adhuc existentem in Concauo Lunæ vnicè allegatam ad faciendam merè impressionem, præsertim, quandò agitur de re tanti ponderis, & ab actis Capituli constat, Præsidem alta, & intelligibili voce quemlibet de Capitulo requisiuisse, ibi = *Si quis nouerit causam, propter quam vocem quis actiuam, vel passiuam habere non debet in præsenti Capitulo, eam referat &c. aliàs enim sine vitio pertransibunt omnes electiones = Summ. d. nu.*4.

Nob subsistit in facto, quod Pater Magister Herrera, accusatus de asserta occultatione litterarum Præsidis, eas pœnès se verè retinuerit, renuendo facere exhibitionem in publico Consessu; quoniam ipsemet Prouincialis absolutus, vnus ex Accusatoribus, dixit, eas fuisse transmissas Matritum, ad effectum reportandi facultatem prò earum exhibitione, attenta prohibitione Commercij cum Reuerendissimo Generali Ordinis, & responsum fuisse negatiuum, *Summar, num.* 1., ibi = *Se haueua riceuuto lettere di Presidente, il detto nostro Molto Reu. Padre Maestro Prouinciale assoluto disse,*

che

che haueua mandato le dette lettere alla Corte, affinche si passassero dal Regio Consiglio di Castiglia &c. ed in questo cauò fuori vna lettera del nostro Padre Maestro Assistente delle Prouincie di Spagna, nella quale gli dice; che in quanto alle lettere di Presidente, non era esseguibile il passo.

Aliæ nullitates non fuerunt adductæ, in Comitijs prouincialibus, *Summar. num.* 7., non obstante, quod in eadem protestatione P. Magistri Sicac., & Patris de Aguilera dictum fuerit, quod ipsi se se reseruabant, aliàs allegare nullitates coràm Reuerendissimo P. Generali Ordinis; quoniàm quando istæ non continent indiuiduationem, & præcisam specificationem, & insertæ non sunt in actis Capituli, nedùm non merentur attendi, verùm etiàm de his habendum est Iudicium, ac si factæ non fuerint, quia quæ non sunt in actis, dicuntur esse extrà mundum.

Agnoscunt Aduersarij, destitutos fuisse omni genere probationum, ad effectum impugnandi nostri Capituli confirmationem, ideo totum eorum fundamentum reposuerunt, & reponunt, Controuersiam non posse resolui, nisi expectata priùs Informatione Episcopi, cui scriptum fuit ab hac Sacra Congregatione de mense Februarij 1716. circà Inconuenientia, & discordias, quæ in illa Prouincia vigebant: At quid commune habet vnum cum altero? Independens enim prorsus est punctus super Confirmatione, vel Infirmatione Capituli, ab altero super assertis Inconuenientibus; quoniam potest stare benè simul, quod Capitulum fuerit validè celebratum, quod consistit, vtrùm seruata fuerint omnia de Iure seruanda, & quæ præscribunt Sacri Canones, super quibus vnicè inquirere debet Superior, vel Confirmator ad decernendam Confirmationem, iuxtà *Text. expressum in Cap. Postquam de Elect.*, ibique *Abbas Panormit. num.* 1., *Laurent. de Peirin. de Subdit. Relig. tom.* 1. *cap.* 3. §. 6., quodque his non obstantibus, ex post superuenerint inconuenientia, & conquæstiones inter Rgligiosos dictæ Prouinciæ, & sic confirmando, vel infirmando Capitulum, non tollitur, quod Episcopus non potuerit, vel non possit dare prouidentiam, & reconciliare animos, quatenùs commotos ex nationalibus factionibus.

At Pars Contraria circà hoc versatur in solemni æquiuoco, nam nomine Regis Catholici de dicto mense Februarij 1716. fuit expositum huic Sac. Congregationi, illam Prouinciam reperiri cum maximo dissidio, perturbantia, & discordijs, quarum origo inueniri non potuit, prò necessaria applicatione remedij, adeoque censuit, eidem Episcopo dandam esse Commissionem, vt posset cognoscere omnes Controuersias, & amaritudines, ac inuestigare earum Causam originariam, *Summar. num.* 8.; Et hæc Sac. Congregatio rescripsit, quod Episcopus Canariensis cum facultate Sacræ Congregationis prouideret vsque ad Capitulum generale in omnibus, & de

& de executis certioraret Sac. Congregationem.

Igitur est manifestum æquiuocum, quod expectanda sit Informatio Episcopi, quia Sacra Congregatio eidem non imposuit, quod Informationem caperet, itaut ad propositionem Causæ deueniri non possit, nisi Informatione transmissa, sed rescripsit quod cognosceret, & prouideret, & de executis ipsam redderet instructam, *Summar. num.* 8. Proindeque vrget fortissimum dilemma, aut enim rescriptum Sacræ Congregationis fuit executioni demandatum, & cum hoc respiciat solummodò prouidentias datas ab Episcopo circà discordias, & Inconuenientia, præpedire non potest, qnod Superior cognoscere non possit de validitate, vel inualiditate Capituli, cuius inspectio, & Iurisdistio dici vllo modo non potest comprænhensa in delegatione, quoniam Sacra Congregatio expressisset, dicendo vlteriùs, quod Episcopus confirmasset, vel infirmasset Capitulum, licèt praxis alitèr seruet, cum hoc sit semper reseruatum potestati, & Iurisdictioni Superioris maioris, neque controuersum à Parte Contraria, quæ solùm prætendit, fore expectandam Responsionem. Et quod cognitio validitatis, vel inualiditatis Capituli Episcopo non fuerit delegata, depræhenditur magis clarè ab ispo rescripto Sacræ Congregationis, vbi quod etiam prouisio decreta fuit temporalis, & temporalitèr data, ibi = *Vsque ad Capitulum Generàle* = Talitèr quod Sacra Congregatio intellexit, quod si Generalis Ordinis confirmare, vel infirmare non potuisset, ex causa supradicta potuisset saltem Generale Capitulum.

Aut rescriptum huius Sacræ Congregationis adhuc executum non fuit, & potiori iure locus esse videtur Confirmationi nostri Capituli, quandò præsertim vtraque Pars Romæ reperitur ad hunc effectum. Altera se se opponendo Confirmationi; Altera verò super eadem confirmatione præmendo. Antepòsito oculis EE. VV., quod etiamsi decretum huius Sacræ Congregationis in diuersam formam interprætetur à Parte Contraria, est ferè biennium, quod emanauit, & vsque nunc viuitur sub incertitudine, non quod illud fuerit exhibitum pènès Episcopum, sed vtrum eius saltem habuerit notitiam, quia nullus datur prorsus fumus illius exhibitionis; quodque virtute ipsius ad aliquod manus admouerit Episcopus; Certum, & indubitatum est, quod antequam discessisset Prouincialis ab illis Insulis, quod fuit per mensem Februarij huius currentis anni suffragaturus in Capitulo Generali, Ipse coràm Superioribus protestatus est, ad manus Episcopi huiusmodi decretum, seu delegationem per vmbram non deuenisse.

Quod apertè venit verificatum, ex quo ad illas Insulas fuit transmissus Commissarius Religiosus Fr. Barnaba Barsina cum litteris patentalibus Generalis Sommantici, in quem occurrit P. Prouincialis, Romam veniendo, in Ciuitate Cadicensi; Isteque præuio rogitu Notarij fuit monitus, & interpellatus, vt suspenderet suam

Com-

Commissionem ex duplici capite; Primo ob eius accessum ad Superiorem Generalem Ordinis, pœnès quem de cunctis rationem reddidisset; Et secundo vti nullam, & inualidam, attenta assumptione Delegantis ad apicem Episcopatus; Itaut post dictam assumptionem, cum ipse Delegatus, seù Commissarius adhuc vti non cœpisset sua Iurisdictione, omnis, & quæcumque eius facultas prorsus expirasset, iuxtà *Text. clarum in Cap. relatum 19. de offic., & potest. Iudic. delegat.*, de quibus omnibus *Summ. nu. 9.* ex quo infertur, quod si Reuerendissimus Episcopus Canariensis saltèm incœpisset prouidere necessitatibus illius Prouinciæ, vtique dictus Commissarius Religiosus illuc demandatus non fuisset.

Et tanto magis; quando hodiè reperitur in illis Insulis, suam exercendo iurisdictionem cum infinitis scandalis, vsque ad obsidendum Conuentus, & peragendum hostilitates armatis Militibus, iuxtà Testimonia, vltimo loco ex illis Partibus remissa, *Summ. num.* 10. Talitèr quod Religio vltima die mensis Augusti proximè præteriti attenta præcipua nullitate, qua fuerunt expeditæ litteræ patentes super dicta Commissione, à dicto Generali Sommantico, eas in omnibus reuocauit, monendo Commissarium, quod quidquid earum vigore ab ipso perageretur, nullum illicò foret, & insubsistens *Summ. num.* 11.

Et tandem concurrit Epistola Regia scripta ipsi P. Prouinciali Canariarum, post rescriptum huius Sacræ Congregationis, hoc est 17. Octobris 1716. super restitutione Commercij, & consequentèr quod ipse totam obedientiam præstaret suo P. Generali Ordinis, *Summar. num.* 12., in qua præcipuè habetur, desiderium Regis Catholici esse, quod Superior confirmaret Capitula Prouincialia omnium Prouinciarum Hispaniarum, ibi = *Che sarà di molto mio Real'aggradimento, che subbito confermi li Capitoli Prouinciali celebrati in tutte le Prouincie di questi* Regni, *e che tratti con Religiosa Paternal benignità li Religiosi di quelli* = Euanida proinde semper detegitur prætensio Partis, non esse deueniendum ad Capituli confirmationem, vel infirmationem, nisi Episcopus Canariensis prius respondeat ad hanc Sac. Congregationem, quoniam magis insistitur super hoc puncto, maiori veritate fit euidentius ex supradictis, quod Episcopus nihil hactenus peregit virtute rescripti huius Sac. Congregationis, & quatenùs peregisset, prouisio capta inuoluere non potest validitatem, vel inualiditatem Capituli, vtpotè quid distinctum, & reseruatum vel Religioni, vel huic Sac. Congregationi.

Quare &c.

Laurentius Nicolettus.

Sacra

CONGREGATIONE

Episcoporum, & Regularium

Emo, & Rmo D. Card.

GVALTERIO

PONENTE

Canarien, Confirmationis Capitu. Prouincialis.

PRO

Admodum R. P. Præfetato Nicolao à Diuo Ioſepho, & Torres Prouinciali Electo Prouinciæ Canariarum Ordinis S. Auguſtini, & litis &c.

CONTRA

Fr. Angelum Fernandez de la Cruz, & litis eiuſdem Prouinciæ.

D

Facti.

Typis De Comitibus 1717